

## CAPUT III.

*De peccatis luxuriæ consummata contra naturam.*

16. *Quest. 1.* Quot sunt species luxuriæ contra naturam? R. Cum ea dicantur peccata contra naturam, in quibus non servantur conditiones a natura institutæ ad generationem, hinc ex diversis modis naturæ repugnantibus, totidem peccati species resultant: quinque autem vulgo numerantur. 1. est congressus inordinatus, sive modus concubendi non debitus, cum scilicet vir ad feminam accedit in debito vase, sed more inordinato, vel quia vir succumbit, vel averse accedit more pecorum, vel stando, aut sedendo, aut alia via inordinata, & naturæ repugnante. Quod si fiat absque periculo effusionis seminis, non erit contra, sed præter naturam, adeoque solum veniale peccatum; imo nullum, si gravis causa intereadat. Erit autem gravis culpa, si sit periculum pollutionis, aut impediendæ generationis, ut plerumque accidit.

17. 2. Species luxuriæ contra naturam est mollities, sivi pollutio, cum absque congressu, seu copula sponte procuratur fluxus seminis. Quod est grave peccatum, per se repugnans generationi, & propagationi, humani generis, adeoque intrinsece malum, excludens a regno Dei juxta illud Apost. 1. ad Corint. 6. *neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* Hinc merito damnata est ab Innoc. XI. hæc prop. *Mollities jure naturæ prohibita non est: Unde si Deus*

*eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* 3. species est sodomia imperfecta, & est congressus maris cum femina, sed extra vas naturale. Potest habere simul aliam malitiam, v. g. adulterii, si sit cum conjugata, incestus, si cum consanguinea, cet. 4. Sodomia perfecta est concubitus duorum ejusdem sexus, & potest etiam habere adjunctam malitiam vel incestus, vel sacrilegii, cet. 5. denique omnium gravissima vocatur bestialitas, & est congressus cum bestia, sive ejusdem sexus sit, sive non. Ad hoc peccati genus refertur concubitus cum Dæmone succubo, vel incubo, quod peccatum addit superstitionem contra Religionem, & præterea etiam sodomix, vel adulterii, secundum affectum & modum, quo cum illo coeat.

18. *Quest. 2.* An liceat aliquando procurare pollutionem? R. cum ex dictis per se, & natura sua sit prohibita, eam procurare nunquam licet, ne causa quidem sanitatis, aut vitandæ mortis. Ita omnes. An autem liceat sumere medicinam ad expellendum semen corruptum cum periculo effundendi simul verum semen, disputant AA. Negant Salmant. eo quod non desint alia remedia ad medendum illi morbo sine periculo effusionis seminis. Sed communis DD. affirmant, quia medicamenta solum tendunt ad expellendum corruptum semen, licet ex accidenti, & præter animum sumentis aliquid veri seminis expellatur. Sic licet in communi opinione mulieri, pharmacum accipere ad curandum morbum, licet indirecte sequatur expulso foetus inanimis.



19. Nota hic 1. distillationem voluntariam, quæ fit cum aliqua spirituum commotione, esse mortale, proindeque illam non licere procurare, aut exoptare; verum si fiat absque ulla carnis commotione solum esse veniale. Quod si ea sine culpa, & sine ulla alteratione sentiatur, de illa non est curandum. Recte autem monet Sanctius, nunquam licere, procurare distillationem propter periculum commotionis, & aliquantuli seminis effusionis. Nota 2. pollutionem præter propriam malitiam sæpe afferre aliam adjunctam, v. g. fornicationis, adulterii, incestus, cum quis nimirum simul imaginatur, ac desiderat coitum cum femina vel conjugata, vel affine cet.

20. *Quæst. 3.* Quid sentiendum de pollutione in somno? R. 1. ea potest esse grave peccatum, si aut antea directe procurata sit, aut post somnum continuetur cum plena advertentia, & deliberata animi delectatione. Aliiter non est voluntaria, nec culpæ tribuitur ex defectu libertatis, ut docet S. Thom. in 4. dist. 9. ar. 4. Quod si incipiat in somno, & sequatur in vigilia semiplena cum aliqua delectatione, sed non plane deliberata, erit solum veniale peccatum. R. 2. cum quis espergefactus sentit pollutionem jam inceptam, non tenetur eam cohibere, nisi periculum adsit consentiendi, ut communis tradit sententia; tum ob difficultatem illam impediendi, tum ob periculum morbi, ex corrupto semine facile provenientis. Nec vero tunc illam pollutionem vult, sed mere patitur, modo positive reprimat delectationem, & contra

eam se munit. Divinum auxilium implorando, ut monent DD. Desiderare autem pollutionem in somno contingentem, aut de ea gaudere propter delectationem, est peccatum mortale. *Appetere autem, habere pollutionem propter elevationem naturæ tantum sine peccato, id est, sine hoc quod dicitur operam, sed via naturali, non est peccatum*, inquit S. Anton. 2. p. t. 7. c. 5. Atque ob idem motivum docent multi licitum esse gaudere de pollutione sine ulla culpa in somno contingente, vel potius de bono effectu ex ea exorto. De tali enim pollutione loquens D. Th. in 5. dist. 9. a. 4. q. 1. ad 3. ait: *Si autem placeat ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

21. *Quæst. 4.* An liceat rem agere, unde pollutio secutura prævideatur? R. 1. si res, unde pollutio prævidetur, sit causa moraliter in eam influens, certe pollutio inde exorta, etsi non sit intenta, imputatur ad culpam, & quidem mortalem; censetur enim velle aliquem effectum, qui ponit sponte illius causam. Hujusmodi autem causæ sunt actiones omnes graviter prohibitæ in materia luxuriæ, ut nemo dubitat. Pariter illæ actiones, quæ licet in se veniales sint, evadunt tamen mortales ex periculo proximo consentiendi in turpem delectationem. Unde non potest a gravi culpa vindicari, qui pollutionem sentit ex diuturno colloquio cum puella, quam amat inordinate, aut ex turpi lectione, aspectu picturæ obscenæ, & similium, quando attendit ipsius infirmitate, & experientia pollutio probabiliter timetur. Excipitur, si



præfatæ actiones, ex natura sua veniales, ponantur ex causa necessaria, aut saltem valde utili, modo absit periculum consensus. Ita Salmant. quibus adhærent Roncaglia, & Tourne-ly, quia, ut ait D. Th. 2. 2. q. 64. art. 7. *Quando causa habet duos effectus, unum bonum, alterum malum, poni potest ex intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad malum.*

22. R. 2. Si pollutio prævisa oriatur ex rebus omnino honestis, res illas ponens nullo modo peccat, modo talem effectum non intendat. Est certum apud omnes, aliter homo abstinere deberet a rebus omnino necessariis. Quod si res, unde pollutio prævidetur, sit illicita, sed in alio genere, etiamsi mortalis sit; pollutio inde proveniens præter intentionem non est mortalis. Sic qui ex ebrietate, aut cibo immoderato in die vetito pollutitur, secluso periculo consensus non peccat graviter contra pudicitiam; quia illæ actiones licet graviter malæ non sunt causa moralis pollutionis; adeoque ista non censetur voluntaria nec in se, nec in causa. Ita communis DD. contra aliquos. Multo magis a mortali excusatur pollutio, quæ oritur ex causis venialiter malis in alio genere, ut ex equitatu, esu calidorum, & similibus; quæ tamen si ponantur absque justa causa, erunt veniale peccatum, ut docet Suarez cum S. Anton., & aliis.

23. Ex dictis deduces sequentia. 1. Parochis, & Confessariis licere Confessiones mulierum audire, legere Tractatus Morales, licet inde prævideant pollutionem involuntariam. 2. Chirurgis, & Medicis licitum esse studere rebus me-

dicis, aspicere verenda feminarum ægrotantium, etiamsi sequatur involuntaria pollutio. 3. Licere cuivis ex honesta causa equitare, cibos moderate sumere, alloqui feminas, & similia, etiam prævisa pollutione non voluntaria. Quid vero agendum est Chirurgo, aut Confessario, quorum alter audiendo Confessiones, alter medendo feminis sæpe in pollutionem consentit? Quod attinet ad Confessarium qui non est Parochus, ille certe tenetur officium relinquere, si possit sine gravi detrimento famæ id facere. Idem dicimus de Chirurgo, qui possit aliter se, suosque sustentare. Imo si in id peccatum fere semper incidat, nec ulla spes emendationis effulgeat; tunc tenetur cum quacumque jactura officium deserere, secundum illud Christi Matt. 28. *si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum.*

24. *Quest. 5.* An mutua pollutio inter mares, vel feminas sit mollities tantum, an sodomia? R. si fiat cum mutuo concubito, vel cum aliqua corporum commixtione esse veram sodomiam, semper enim est aliquis affectus ad indebitum sexum; quamvis aliqui non improbabiler sentiant, coitum femine cum femina non esse nisi sodomiam imperfectam. Quod si tactus sint tantum mutui, etiam cum pollutione, sed sine mutua corporum conjunctione, & sine affectu ad sexum, probabilior sententia tenet, non esse sodomiam, sed solam pollutionem. Notandum est autem, in peccato Sodomie explicandum esse in Confessione, an quis fuerit agens, an patiens, item an persona ligata voto castitatis, affinis, conjugata, cet.



25. *Quest. 6.* Quænam sunt pœnæ Sodomitis a legibus inflictæ? R. a lege Civili Sodomitas damnari pœna mortis, & combustionis; a lege autem Canonica tam Clericos, quam Regulares privilegio Clericali, Officio, ac Beneficio privari. Et insuper præcipitur, ut Sæculari potestati tradantur. Non tamen istæ pœnæ locum habent, nisi sodomia sit consummata cum pollutione intra vas, & maris cum mare, ut tenet communis sententia. Nec pœnæ Clericorum intelliguntur, nisi vitium hoc sit frequens, & usu continuatum, teste Navarro. Requiritur præterea Judicis sententia, ut in aliis legibus pœnalibus usu venit. Sunt qui pœnas Sodomix intelligendas esse volunt etiam de peccantibus cum belluis, quia eadem est ratio, & crimen istud est gravioris malitiæ. Sed immerito, quia lex pœnalis non pendet a ratione legis, sed a voluntate legislatoris, secus ac evenit in lege præceptiva.

## TRACTATUS VI.

### DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

*Non furaberis. Exodi 20.*

**H**oc præcepto prohibetur omne damnus injuste proximo illatum in bonis ipsius, quod fieri potest 1. per furtum, & rapinam. 2. per omissionem reparationis damni. 3. per iniquos contractus. De tribus his ageamus sigillatim, quibus abjiciemus appendicem de Justitia, & Jure.

## CAPUT I.

### De furto, & rapina.

1. *Quest. 1.* Quid est furtum, & in quo differt a rapina? R. furtum stricte tale est occulta, & injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino. Dicitur *occulta*, ut distinguatur a rapina, quæ est aperta ablatio, & violenta rei alienæ, proindeque ex genere suo peccatum gravius furto. Dicitur *injusta*, nam si justa sit causa accipiendi rem alienam, non est furtum; nec tale censetur, etiam si invitatus sit Dominus, quando nulla est ipsi rationalis causa, ut sit invitatus. Sic qui ab alio librum perniciosum aufert, ne legat, aut vinum, ne inebrietur, reus furti non est. Pariter uxor auferens a marito pecunias, ne ludo, aut comestationibus prodigat, vel ut familiam sustentet, quas a marito petere non audet, furtum non committit; quia ille non est rationabiliter invitatus. Denique nota, nomine *injustæ ablationis* intelligi etiam injustam detentionem rei, quæ antea sive juste, sive injuste fuit accepta, ut notat S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 2.

2. *Quest. 2.* Quotuplex est furtum, & quale peccatum? R. dividitur in *simplex*, & *qualificatum*, quod ad rationem furti aliquam addit circumstantiam, quæ graviori pœna dignum reddit peccatum. Hoc est quadruplex: 1. sacrilegium, scilicet furtum rei sacræ, vel rei profanæ a loco sacro. 2. peculatus, furtum rei ad